





133

1928 K 944

90.

19.

HYPOMNEMATA POLITICA
De
CIVITATE CONSERVANDA
PRÆSIDE
M CASPARE ALEXANDRI,
publice disputabit
JULIUS ERNESTUS Schröder
in Auditorio minori
ad d. Novembris
Horis pomeridianis

WITTENBERGÆ
Excudebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.
Anno 1672.

7005





HYPOMNEMATA POLITICA

de

CIVITATE CONSERVANDA.

I.

Conservandæ civitati auxilia à Natura petenda sunt & arte. Quia & Natura civitatem condidit, & ars auxit Naturæ imitatrix. Equidem Thomas Hobbius Anglus Element. Philosoph. de cive. c. I. n. II. *Societatis civilis initium à mutuo metu esse, contendit: sed nullo novo argumento. Itaq; Lactantium eidem Lib. VI. de vero cultu c. X. opponimus. Urbis condende originem atq; causam non unam intulerunt; sed alios homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per sylvas & campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter se sermonis aut juris vinculo cohererent: sed frondes & herbam pro cubilibus; speluncas & antra pro domibus haberent; bestiis & fortioribus animalibus præde fuisse commemorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse; præsidium implorasse; & primo nutibus voluntatem suam significasse; deinde sermonis initia tentasse; ac singulis quibusq; rebus nomina imponendo, paulatim loquendi perfecisse rationem. Cum autem multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam; oppida capis-
se munire; vel ut quietem noctis tutam sibi facerent; vel ut
incursi-*

incurfiones atq; impetus bestiarum non pugnando sed objectis aggeribus arcerent. O ingenia hominibus indigna, quae has ineptias protulerunt; miseros atq; miserabiles, qui stultitiam suam literis memoriaq; mandaverunt! Qui cum viderent mutis quoq; animalibus ingenitam esse rationem vel conveniendi vel invicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cavendi, vel cubacula sibi & latibula parandi, homines autem ipsos existimaverint non nisi exemplis admoneri ac discere potuisse quid metuere sibi, quid cavere quid facere deberent; aut nunquam inter se conventuros fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestia comedissent. Haec alius delira visa sunt, (ut fuerunt) dixeruntq; non ferarum laniatus causam fuisse cocundi, sed ipsam potius humanitatem; itaq; inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens & communionis ac societatis appetens esset. Non magna inter eos deceptatio est; Siquidem causa dispar est, res eadem est. Potuit igitur utrumq;, quia non per omnem terram nati sunt homines à terra tanquam ex draconis alicujus dentibus praefeminati (ut poetae ferunt) sed unus homo à Deo factus est; ab eoq; uno omnis terra humano genere completa est; eadem scilicet ratione, qua rursus post diluvium; quod certe negare non possunt. Nulla igitur in principio facta est ejusmodi congregatio; nec unquam fuisse homines in terra, qui propter infantiam non loquerentur intelliget, cui ratio non deest.

II. Domum civitatis partem, matrimonia conservant & opes. Caterum penuria mulierum hominis aetatem durabit civitas; penuria opum fame extinguetur facile. Illic & dare generum & quarere pulchrum est. Plinius Lib. I. Ep. XIV. *Petis ut fratris tui filia prospiciam maritum: quod merito tibi potissimum injungis. scio enim*
quan-

quantopere summum illum virum suspexerim dilexerimq̄.
Nihil est, quod à Te mandari mihi aut majus aut gratius, nihil
quod honestius à me suscipi possit, quam ut eligam juvenem,
ex quo nasci nepotes Aruleno Rustico deceat. Qui quidem
diu querendus fuisset, nisi paratus & quasi provisus esset. Mi-
nutius Acilianus. Est illi facies liber alis multo sanguine, multo
rubore suffusa est ingenia totius corporis pulchritudo & qui-
dam Senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda;
debet enim hoc castitati puellarum quasi premium dari.
Nescio an adjiciam, esse patri ejus amplas facultates. nam
tum imaginor vos, quibus querimus generum, silendum de fa-
cultatibus puto: quum publicos mores, atq̄, etiam leges civitatis
intueor, quæ vel imprimis census hominum spectandos arbi-
trantur; ne quidem prætereundum videtur: & sane de po-
steris & his pluribus cogitanti, hic quoq̄, in conditionibus de-
legendis ponendus est calculus.

III. Opes non puto, nisi quæ utilitatem rei famili-
ari præstant. Xenophon Lib. V. Memorabil. de Admi-
nistrat. domest. Videris ea facultates appellare, quæcumq̄
sunt usui? Omnino ait. Nam quæ nocent, magis esse detrimen-
tum arbitror, quam facultates. At si quis equum emens uti
eo nesciat, sed ab eo delapsus damnum accipiat, nonne facul-
tates ei sunt hic equus? Non; siquidem facultates esse bonum
aliquid necesse est. Ergone solum quidem ei facultates sunt,
qui suo cum detrimento solum colit? Itidem solum esse facul-
tates nego si cum debeat alere, ut esuriamus, efficit. Ergo idem
de ovibus statuendum, si quis propterea, quod ovibus uti nesci-
at, damnum accipiat, ne oves quidem ei facultates esse? mihi
sane non videntur esse, inquit. Ergo Tu, quemadmodum vi-
detur, ea quæ utilitatem habent, facultates esse ducis, quæ ve-
ro noceant minime? Sic est. Eadem igitur illi qui usum eorum
teneat

teneat facultates sunt; eundem ignorant non sunt facultates.
Quemadmodum tibi illi, qui canere tibi egregie norit, facultates sunt: qui vero nesciat, nihilomagus quam inutilia saxa nisi eas vendiderit. Rursus scilicet videntur nobis tibia, siquidem vendantur facultates esse si non vendantur, sed retineantur ab illis qui usum earum ignorant, hant quaquam. Sanè consentanea ratione, mi Socrates, nostra progreditur oratio, quando dictum est, ea que utilia sint facultates esse. Nam si tibia non vendantur, non sunt facultates, quippe que nullam ad rem utiles sint; vendita vero sunt facultates &c.

IV. Modi acquirendi opes, naturales sunt Agricultura, pecuaria, venatoria; atq; in agricultura veteres coloni præstant; gnari terræ ac soli & suo cœlo sueti. Columella Lib. I. de Re Rustic. præf. Nam qui se in hac scientia perfectum volet profiteri, sit oportet rerum natura sagacissimus, declinationum mundi non ignarus ut exploratum habeat, quid cuiq; plage conveniat, quid repugnet: siderum ortus & occasus memoria repetat; imbribus ventisq; imminentibus opera inchoet laboremq; frustretur. Cali & anni presentes mores intueatur: neq; enim semper eundem, velut ex præscripto, habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æstas aut hyems: nec pluvium semper est, aut humidus autumnus. Quæ prænoscere sine lumine animi & sine exquisitissimis disciplinis non quengquam posse crediderim. Jam ipsa terra varietas, & cuiusq; soli habitus quid nobis neget, quid promittat, paucorum est discernere: contemplatio verò cunctarum in ea Disciplina partium, quando cuiq; contingit, ut & segetum arationumq; perciperet usum & varias dissimillimasq; terrarum species pernosceret, quarum nonnulla colore, nonnulla qualitate fallunt: atq; in aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, ut in Campania, est laudabilis: in aliis pinguis rubrica melius respondet: quibusdam sicut in Africa

frica Numidia, putres arenae facunditate vel robustissimum solum vincunt. Quae omnia pernosse non est nisi ejus, qui plurima soli sui experimenta fecit. nam, ut recte ait Cellus proam. Lib. I. de Medicin. Agricola non disputationibus, sed usu fit.

V. Artificialis acquirendi modus est Nummaria; quae nec prorsus contra naturam; nec omnis Foeneraria illicita est. Pecuniae autem conficiendae rationem pluribus exemplis docuit Aristoteles Lib. II. de Cura Rei Familiaris. Nos uno alterove, quod ad nostrum institutum faciat, contenti erimus. *Condalus Mausoli praefectus siquando iter per regionem suam facienti sibi afferret aliquis donum ovis aut porci aut vituli, iussit perscripto nomine ejus qui donasset & die, domum abduci & ali donec reverteretur. ac ubi tempus satis longum abiisse videbatur, repetiit quod illerulerat, subductis fructus rationibus. Arborum item eminentiam aut procidentium in regias vias vendebat fructus. Militum quoque si qui mortem obierant, copiam efferendi extra portam corpus denario vendebat. atque hinc simul argentum accipiebat, simul non fallabant eum duces indicio temporis, quo aliquis ex militibus esset mortuus. Lycios etiam cernens capillis gestandis delectari, literas esse dixit allatas regias, quibus capilli ad crimes mitti juberentur. Manaata igitur se habere a Mausolo, ut illi tonderentur. atque promisit si certam summam in capita contribuere vellent, ex Gracia capillos afferendos se esse curaturum. At illi libenter praeberunt quod postulabat, collectaque est de magna multitudine pecunia copiosa.*

VI. Pagum conservant novae subinde surrogatae familiae; cum antiquae exhaustae sunt. C. Tacitus XII. Ann. c. XXV. n. II. *Isdem diebus in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque, e Senatu aut quibus*

quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum & L. Brutus minorum gentium appellaverant. Exhausti etiam, quas dictator Caesar Lege Cassia & princeps Augustus Lege Senia sublegere. Latæq; hæc in R. P. munita multo gaudio Censoris inibantur.

VII. Colonia quoq; pagum conservant. Quamquam enim alia Romanis deducendarum coloniarum extiterint causæ; de quibus Siculus Flaccus de Conditionibus Agrorum. Colonia inde dictæ sunt, quod populi Romani in ea municipia miserint colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursum repellendos. Nos tamen hanc potissimum naturalem arbitramur, qua multitudinem populi longè lateq; spargunt & augent. Nam ut examina apes, sic & coloniarum gentem servant. Itaq; Carolus Sigonius sex causas Coloniarum adfert: 1. ut priores populi coercerentur ut hostes vicini repellerentur 2. plebs urbana exhauriretur 3. stirps tamen Romana augetur 4. Seditioes tollerentur 5. Veterani premia acciperent. Gellius Lib. XVI. c. XIII. Coloniarum alia necessitudo est; non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur; sed ex civitate quasi propagatae sunt, & jura institutaq; omnia populi Romani, non sui arbitrij habent. Quæ tamen conditio quum sit magis obnoxia & minus libera; potior tamen & præstabilior existimatur, propter amplitudinem majestatemq; populi Romani, cujus ista colonia quasi effigies parva, simulacraq; esse videntur.

VIII. Annonæ procuratio ad conservandum pagum pertinet; ne dilabatur. Hinc Plinius Lib. XVIII. Nat. Hist. c. III. Cura ea in primis habita à Senatu Romano statim post Reges ejectos; primum Manium Marcium ædilem populo frumentum in modios assibus donasse. Sidonius Apollinaris

naris Lib. VI. Ep. XII. *Illud deberi tibi quodam, ut juriscon-*
sulti dicunt, precipui titulo, nectius poterit ire pudor infici-
as, quod post Gothicam depopulationem, post segetes incen-
dio absumtas, peculiari sumtu inopia communi per desolatias
Gallias gratuita frumenta missi; cum tabescentibus fame
populis nimium contulisses, si commercio fuisset species ista,
non munere.

IX. Mercaturæ pagum ditant, monopolia affigunt.
M. Porcius Cato de Re Rustica Lib. I. præf. *Est interdum*
prestare mercaturis rem querere, ni tam periculosum fiet.
Mercatorem autem strenuum studiosumq; rei querendæ exis-
simo, verum ut supra dixi periculosum & calamitosum.
Procopius Lib. II. Hist. *Joannes zibus Lazis præfectus ab*
Imperatore Justiniano datus, improbè Lazorum res admi-
stravit. Nam salem & alios commeatus Lazis necessarios in
Colchorum terram mercatoribus importare non licebat, neve
aliud inde exportare, sed ipse monopolium tantum factita-
bat, omnibus officinis præfectus erat, omnia solus emens ac
eadem Colchis vendens, non uti mos erat sed uti volebat.

X. Civitati conservandæ inserviunt municipia.
Nam civitas vox juris & muneris est, cujus privilegio
municipia quam maximè censentur, eoq; ad civitatem
accedunt. O nuphrius Panvinius Lib. III. Descript. Imp.
Roman. *Municipiorum autem duo erant genera, quedam*
que omnia civitatis privilegia habebant præter suffragij latio-
nem, quedam que civitatem ipsam cum suffragio obtinuerant.
Gellius Lib. XVI. c. XIII. *Municipes sunt cives Romani ex mu-*
nicipiis suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum
populo Romano honorarij participes, à quo munere capessen-
do appellati videntur.

XI. Etiam peregrinorum cura civitati prodest ritè
instituta. Ostendit id Claudius imperator apud C. Ta-
B citum

citum XI. Ann. c. XXIV. n. II. Majores mei (quorum antiquis-
simus Clausus origine Sabina, simul in civitatem & in fa-
milias patriciorum adscitus est) hortantur, uti paribus con-
siliis Remp. capebam, transferendo huc quod usquam egregi-
um fuerit. Neq; enim ignoro Julios Alba, Coruncanos Ca-
merio, Porcios Tusculo: & ne vetera ferutemur, Etruria Lu-
caniag, & omni Italia in Senatum accitos. Postremo ipsam
ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terra
gentesq; in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi-
quies, & adversus externa floruimus, cum Transpadani in-
civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terra le-
gionum, additis provincialium validissimis imperio subven-
tum est. Num panitet Balbos ex Hispania, nec minus infi-
gues viros è Gallia Narbonensi transuisse? Manent posteri eo-
rum, nec amore in banc patriam nobis concedunt. c. XXV.
Orationem principis secuto patrum consulto, primi Adui Se-
natorum in urbe jus adepti sunt.

XII. Asyla civitatem adjuvant aliquando, aliquan-
do nocimento sunt. Livius Lib. I. c. VIII. Locum qui nunc
septus densis sentibus est inter duos lucos Asylum aperit; eo
ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine liber an servus
esset, avida novarum rerum perfugit. Idq; primum ad ca-
ptam magnitudinem roboris fuit. De cujus origine Gode-
levæus in Annotatis Livianis. Primum Cadmus dum The-
bas conderet inter Græcos Asylum aperuisse fertur, ad quod fu-
gientes sine discrimine servi aut liberi ab omni pana tuti erant.
Nomulli a prognatis Herculis Asylum Athenis primò institu-
tum ferunt, ad quod à patribus oppressis confugere fas erat;
de quo Herodotus Lib. II. Post quod in Rheto littore Ajacis
fuit Asylum & in Sigæo Achillis, quorum exemplo Romulus
suum Asylum aperuit ad lucum opacum & vallem inter Capi-
tolium

colium & arcem. C. Tacitus III. Ann. c. LX. n. II. Cre-
bescebat enim Græcas per urbes licentia atq; impunitas asyla
statuendi. complebantur templa pessimis servitorum: eodem
subsidio oberati adversum creditores, suspectiq; capitulum
criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperi-
um erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut
ceremonias Deum protegentis. Igitur placitum ut mitterent
civitates jura atq; legatos. Et quædam quod falso usurpave-
rant sponte omisere: multa vetustis superstitionibus, aut me-
ritis in populum Romanum fidebant. Magnaq; ejus diei spe-
cies fuit, quo Senatus majorum beneficia, sociorum pacta,
Regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipso-
rumq; Numinum Religiones introspexit, libero ut quondam
quid firmaret mutaretve.

XIII. Immunitates quoq; & privilegia ad confer-
vandam civitatem faciunt: sed non omnibus nec in om-
nibus temere concedenda. Ita Schönbornerus de
sua ætate, quales immunitates inquit hodie in exstructione
propugnaculi & novæ urbis Manheimæ inter Rebnum & Ni-
crum omnibus passim ibi Larem fortunarum suarum consti-
tuere volentibus largitur serenissimus Elector Palatinus. Me-
cænas apud Dionem Cassium Lib. LII. In quibus inq; ali-
is omnibus facilius tibi omnes & privatim & publicè parebunt,
si nihil horum ulli præter alios permiseris. Nam inæqualitas
etiam ea quæ bene in unum coaluerunt, dissipat. Itaq; omnino
pati non debes, ut quis horum quicquam à te petat, quod ei
daturus non sis: sed hoc summopere conari debes, ut nequid
vetitorum poscat quisquam. in oneribus certè immuni-
tates non prosunt ubiq; Hinc idem Mecænas dicto
loco: Pensio imperanda est de omnibus iis quæ aliquem pos-
sessori questum ferunt, vectigaliaq; imperanda omnibus.

Exactores porro ubiq; locorum constituendi sunt, qui singulis
sue functionis temporibus ex omnibus redditibus quantum par
est, exigant.

XIV. *Equalitas pulcherrima civitatis tutela est* C.
Tacitus III. Ann. c. XXVI. n. I. *Vetustissimi mortalium, nul-
la adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eorū sine pena aut
coercitionibus agebant. neq; praemius opus erat, cum honesta
suo pte ingenio peterentur; & ubi nihil contra morem cape-
rent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui equa-
litas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat,
provenere dominationes, multosq; apud populos aeterna man-
sere.*

XV. *Libertas grata quidem naturaliter & utilis ci-
vitatibus, ab omnibus tamen tolerari non potest. Sira-
bo Lib XII. Geograph. Cum genus defecisset regium, Ro-
mani ratione federis & in ius cum Cappadocibus amicitia iis
permiserunt, ut libere suis viverent legibus. Hi autem mis-
sis Legatis libertatem repudiaverunt, ut quam sibi dicerent
esse intolerabilem: regem sibi dari postulaverunt. Roma-
ni mirari homines esse, qui adeo de libertate animum despon-
dissent, permiserunt eis, ut de ipsorum corpore regem suis
quem vellent crearent suffragiis. Ita rex ab iis factus est
Ariobarzanes.*

XVI. *Civitatem maximè servat Religio; Quia
& homines hominibus de vincit, & Deum civitatis par-
tibus adjungit. Livius Lib. I. c. XIX. Cum omnium
circa finitimum societate ac federibus junxisset animos
Numa, postis externorum periculorum curis, ne luxuria-
rent otio animi, quos merus hostium disciplinaq; militaris
continuerat: omnium primum rem ad multitudinem
impe-*

*imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam, deorum
metum injiciendum ratus est. De quo Dionysius Hali-
carnas. Lib. II. Antiq. Rom. Duae res existimabat Nu-
ma Romanorum rex II. magnopere pertinere ad felicitatem
& incrementum civitatis. Pietatem ante omnia docuit
homines, quod Dij mortalibus omnium bonorum au-
ctores sint & conservatores: deinde justitiam,
per quam concessis divinitus commodis bel-
lorum frui liceat.*





Ad

Præstantissimum ac Pereximium

Dn. JULIUM ERNESTUM
SCHRÔDERUM,

de
CIVITATE CONSERVANDA
disputantem.

HOc dædalæ Naturæ opus, plenâ domo
Et mille conditum colonis, Civitas,
Defectâ præsidio tuas ambit manus,
SCHRÔDERE, opemq; implorat ægra, nec La-
Figit, nec obsitum amplius munit latus, rem
Ruitura jam nî mente casum fulcias,
Latamq; consilio & suam reddas vicem.

Huc huc ades, notasq; civi subjice
Artes **SCHRÔDERE**, & omne robur explica
Orbis saluti, patriæq; destina spei.
Et civicam pulchrum est mereri lauream:

M. Caspar Alexandri.

Ad

Amicum & Contubernalem additissimum,

Dn. JULIUM ERNESTUM SCHRÖDERUM
enm de Civitate Conservanda publicè
disputaret.

Quis non applaudat tam dignis ausibus? ecquis
Non voveat Musis plurima fausta tuis?

Conservare studeas Civilia commoda mactè,
Et profers, quum jam publica rostra cies.

Quid melius juris studiosum, quæso, decebit?

Quid melius discat, disputet, atq; legat,
Commoda quàm patriæ, quàm commoda Ci-
vibus apta

Quærere? quàm cives sorte beare sua?
Civilem studeas Civis servare salutem,
Sic olim Patriæ Tu Pater esse potes.

*in ulteriorem amicitia testi-
ficationem S.*

Joachimus Ernestus Seidell.

45
MAGISTER JOHANNES
D. JULIUM ERNESTUM ZORDERIUM
Cancellarium Universitatis publicae
in Borussia

Quoniam in hunc mundum non venimus
nisi ad vitam et ad salutem animae
conferre debet Civitas commoda et
Et propterea quum iam publica ratio
Quid melius iuris studio, et ad
Quum in his rebus diligenter
Communis quam patris commoda

Quum in his rebus diligenter
Civilem studium Civis laudat
sic omnia Patris Imperialis honoris
in hunc mundum non venimus
hactenus

Johannes Ernestus Cancellarius



WITTENBERG, Diss., ERGBO.,
1. 1612/1667

ULB Halle

3

005 377 20X



nicht verbewalen


W 177

Wib. Fulger
Buchbinder:
Halle a. S., Nr. Kinkhardt. 4

Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



K 9441

90.

19.

A POLITICA
NSERVANDA
DE
ALEXANDRI,
mutabit
TUS Schröder
minoris
membris
ridianis
ERGÆ
NERUS Acad. Typogr.
1853.

7005

